
PARAPHRASIS

ANTONII BERGAE TAVRIN.

Philosophi & Medici eorum quæ in quarto libro operis Meteorologici habentur.

DE SIMPLICI GENERATIONE, putredine, coctione, concretione & liquefactione mistorum corporum & perfectorum.



IN MONTE REGALI
Excudebat Leonardus Torrentinus
M D L X V.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET ILlustrissimo Domino Hieronymo Roboreo Augustæ Taurin. Ditionisque Subalpinæ Summo Antistiti,

ANTONIVS BERGA S. D.

Nihil est Præsul Amplissime, quod hominũ studia magis excitare videatur, quàm ea ætate uiuere, in qua, qui cæteris imperant, sapientia vitæq; probitate plurimum excellunt. Illo enim tempore liberales disciplinas ita florere nec non incrementum suscipere cernimus, vt qui eis destituti sunt, nullo honore nullaq; laude digni putentur. Itaq, cum me nunc temporis non solum viuere, sed in Academia Serenissimi Principis nostri philosophiam docere contigerit,

A ij *quo*

Digitized by Google

quo quidem tempore, qui maiores dignitates obtinuerunt, omni virtutum genere abundant. Me ipsum continere nequaquam potui, quin nouo opere studiorum meorum periculum subirem, Tibiq; illud nuncuparem, quandoquidem de maximis difficillimisq; rebus eam rectè iudicandi facultatem teneas, ut si quid à te comprobatum fuerit, à multis postea laudari facile intelligã, in quo sanè omnis eius quod proponitur laus consistere censetur. Quod quidem libenter ut faciã, admirabiles animi tui dotes in primis cogunt: Quæ an tibi splendorem tribuant, an tu illis potius ornamentum adiungas, nondum patet: videntur enim omnes tecum genitæ, itaq; tuæ esse, vt illis nullo vmquam tempore carere visus fueris. Ex quo illud factum est vt summi Pontifices, Christianissimi Gallorum Reges, & Princeps noster inuictissimus, Te adhuc adolescẽtem summis negotijs præfecerint, multisq; honoribus decorauerint, ut iam nihil desideres, quod beato viro dignum fore putetur. Etenim si fœlicitas in humanarum diuinarumq; rerum cognitione posita est, nec non

in

in ea actione, quæ secundum virtutem fit, quis nam te verè beatum non prædicabit? Nullum enim est scientiarum genus, in quo plurimum non vale.ns: Religione etiam quã tum emineas; qua item Pietate apud omnes vtaris, qui de vera Christi doctrina aliter sentiebãt, fidẽ fecerunt, quos catholica prædicatione vitæq; inprimis sanctimonia ad meliorem sententiam reuocasti, quod illi etiã quotidie probant, quibus summa est egestas, cuius iniurias & calamitates, illos nec quidem sentire pateris, quos semper domi & foris foues: In quo Dei prouidentiam imitaris, illiusq; præceptorum non tantum memor, verum etiam obseruator appares. Nam si Reges qui humana gubernant, sanctum est philosophos esse, cur est quòd qui diuinis præsunt, in luce ipsaq; veritate non debeant philosophari? Nullum siquidem bonum sit, quo illi nõ fruantur, qui pios à Deo Pastores obtinuerunt, quemadmodum omni malo illi crucientur, qui impios habuerunt: Vnde quoscumque Subalpinæ ditionis populos, Deo placere, sperandum est. Nã si Deus aliquã rerum humanarũ curam habet,

bet, ut certè habet, eorum maxime solicitũ esse æquũ est, qui illi ualde similes euaserũt. Quorum præstantissimam actionem cum exerceas atq; hoc unum cordi habeas, ut quos tibi Christus dedit, Christo viuere cures. Te Deo charissimum esse, omnes prædicant, eamque sedem etiam conscessurum sperant, in qua Maiorum tuorum gloriam suscitabis: Quod si Deus tibi concesserit, Ego in hac vita quantum fieri poterit, lætabor, post mortem vero cum beatis Mentibus exultabo, Quas vt finem dicendi faciã, rebus tuis semper adesse, interea deprecabor. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMVS DE SIMPLICI GENERATIONE ET putredine.

NVLLA tractatio eſt, quæ maiorem vtilitatem philoſophiæ & Medicinę ſtudioſis ſuppeditare valeat ea quæ ad ipſas naturæ operationes pertinere cēſetur, quas in miſtis omnibus perfectis primarū qualitatum actionem, & paſsionem concomitari videmus. Quam profectò cum maximis difficultatibus inuolutam eſſe intelligerem, me operæpretium facturum putaui, ſi ea monumentis litterarum mandarem, quæ, librum quartum operis Meteorologici cum interpretarer, veriora ſemper iudicaui. Quod ſanè facile præſtabo, ſi totius Methodi exordium ab illis auſpicabor, quæ Peripateticæ diſciplinæ princeps in eo libro docere inſtituit, in quo caloris, frigoris, humoris & ſicci, quę miſtorum corporum prin-

cipia dicuntur, actiones siue operationes declarat, inter quas primum locum simplex generatio & naturalis mistorum perfectorum interitus, qui putrefactio nuncupatur, obtinuerunt: quibus coctio & incoctio succedunt, quæ à calore & frigore etiam ortum habent: deinde vero earum passionum species, quæ humorem & siccum mistorum sequuntur. Nullum enim mistum perfectum cum reperiatur, quod ex symmetria caloris, frigoris, humoris & sicci non insurgat, atq. quod sui interitum naturalem non patiatur, quando illorum symmetria dissoluitur, de simplici ortu & putredine mistorum omnium agere Arist. non autem de sola viuentium putrefactione nemini dubium extare debet, & si exemplum a viuentibus acceptum adiungat, vt quæ difficultatem habent, testimonio eorum probet, in quibus quod dubitatur, magis est conspicuum: Nam si putredo simplici generationi maximè opponitur, quæ inanimatorum propria existit, quod Gal. in opere de Elemẽtis Arist. & Hippocratẽ sequutus, fatetur, de putredine etiam qua inanimata intereunt agi indubitatum est; Similares enim partes quæ inanimatæ sunt simplici generatione formantur, constant enim

enim ex quattuor elementis, ut puta calido, frigido, humido & ſicco. Metalla pręterea quoniā etiam fiunt ex humidi aquei cum terreſtri ſiccitate concoctione, ſi frigore ſubinde fuerint concreta, in miſtis perfectis connumerantur, de quorum ſane origine, in qua cum imperfectis comunicant in fine tertij libri egit Ariſt. Quare metalla cum ex quattuor elementis producta ſint, putredine etiam unumquodque interire cernimus, nec non elementa quæ impura & quodammodo miſta dicuntur, vnde ignis qui parum aut nihil humoris ſibi miſceri patitur, non putreſcit. De ſola igitur putrefactione viuentium agere Ariſt. non eſt putandum. Marcore enim veluti poſtea oſtendemus naturaliter intereunt uiuentia omnia, quorum corpora putredine vſq. in materiam primam diſſoluuntur.

Caput primum de ſimplici generatione.

SImplex generatio prima eſt actio ſiue operatio, quam calor & frigus efficere ſolent, quandocunque ſiccum & humidū obtinuerunt. Omnem enim mutationem cum alteratio antecedat. fieri poteſt ut actiuæ qualitates illas ſuperent, quæ patibiles

dicuntur, si illis comparentur, quod si cótigerit, misti generatio insurgit, in quo qualitates omnes cum inter se agant & patiantur, si patibiles agentes uicerint, naturalem misti interitum sequi oportet, qui putredo dicitur. Quare simplex generatio nihil aliud esse dicitur, quàm mutatio a primis qualitatibus facta, quãdo calor & frigus humidum & siccum obtinnerunt, nam & si mistorum alia calido, alia frigido, alia humido, alia vero sicco temperamento prædita videantur, eorum tamen generatio elementorum mistionem non sequitur, nisi calor & frigus agant, humidum vero & siccum patiantur, caliditas enim a frigore temperata illa est quę humido siccum unit & constare facit, per hanc autem generationem corpora mista coagmentantur, in qua fabrefactione artifex est calor, materia artificij ipsum humidum, caloris actionem excipiens, adiungitur autem siccum, quo stabile firmumq. ipsum humidũ efficiatur, ut actionem caloris retineat, frigidum ipsum apponitur, ut calorem temperatum reddat; siquidem, ueluti admonuimus, calor summus modum eius actionis, quam in constitutione mistorum vide mus, non habet: absumit enim & in se tota

ea

eà conuertit. quibus est superior. Quare frigidum inter effectrices causas generationis reponitur, siccum vero cum humido patitur, quoniam humidi mediocritatem quandam efficit, per quam partes eius constent nec diffluant: Hanc deinde actionem misti tantum forma sequitur, non hæc aut illa quidem, ex quo illud fit, ut in uniuscuiusq. misti putredine, forma, quæ misti tantum est intereat, non autem animati aut inanimati. Ex quattuor uerò Elementis corpora omnia quę mista sunt cōstare oportuit: gignuntur enim & concrescunt, dum concordi pace consentiunt atq. perdurant. dum dissident & mutationibus pluribus se exagitant, corrumpuntur: si itaq. calidū a generatione quispiam sustulerit, concrescet humidum inopia caloris, si siccum auferatur, aqua erunt omnia, si humidum terra, interibuntq. cuncta quæ sub cœlo sunt mista, vbi enim calidum cum frigido præualent, ita humidum & siccum disponunt, ut à calore misti forma introducatur & conseruetur, quare obtinere nihil aliud est, quàm vim & facultatem actiuas qualitates habere, ut passiuas ita alterent transmutent & terminent quòd caloris frigoris humoris & sicci ea insurgat cum mistione pro-

portio, in qua misti natura saluari potest. dominari verò vtcumque si quispiam intelligeret, mistum omne à prędominio aut calidum aut frigidum esse oporteret, cum tamen multa humido aut sicco temperamẽto prædita uideamus. Etenim cum natura misti in qualitatibus refractis maneat, potest vnaquæque illarum agere & pati, in ipsa tamen generatione calidum et frigidũ agunt, patiuntur autem humidum & siccũ. quoniam transmutatio copulatio & terminatio fiunt à calore & frigore, transmutationem vero & alias passiones humidum, & siccum suscipiunt: constare enim mistum non potest nisi humidum cum sicco copuletur, ipsumq. humidũ terminetur & transmutetur In Elementorum generatione tantum calefaciunt infrigidant humectant & exsiccant: in ea verò quæ mistorum est, etiam transmutant copulant & terminant, propterea quod in eorum generatione mistio requiratur, quam elementorum productio minime postulat, cum altera contrarietatũ cum materia prima sufficiat, ut elementum generetur. Calidum autem & frigidum transmutare dicuntur, quoniam exsiccandi, humectandi, mollificandi & indurandi facultatem hahent, calor enim du

ra

ra corpora mollificat liquefaciendo, frigus autem quoniam humorem non dissoluit, calor præterea humorem absumendo indurat, frigus autem congelando, copulant autem propterea quòd à calore temperato miscibilium vnio proueniat, à calore enim non solum terminus quispiam humido inducitur, sed sicci mistione à calore facta retinetur, calor temperatus ille est qui mistionem facit & seruat, ut frigus etiã illas actiones producere uideatur. Nam si eas actiones in ipsis tantum uiuentibus primæ qualitates facerent, posset aliquis existimare de simplici eorum ortu atq. putredine Aristotelẽ pertractare: at cũ in ijs quæ vita non participant naturam moliri illas videamus, nihil est quod doctos homines aliter sentire cogat. Mistorum enim omnium quæ perfecta sunt principia quattuor sunt elementa, quatenus caliditatem, frigiditatem, humiditatem atq. siccitatem habent, quemadmodum ab Arist. in lib. de ortu & interitu determinatum est; ita ut calor, frigus, humidum, & siccum alterationem faciant, quam forma misti sequitur, ex qua cum ipsis elementis quæ vim materiæ sustinent, totum mistum componitur, ut simplex generatio ex caliditate, frigiditate, humidi-

tate & ſiccitate inſurgat, quę elemētares dicuntur, non autem ex ipſo calido, frigido, humido, & ſicco, quæ in viuentibus ſubſtantiæ quædam fore dicuntur: viuentium enim generatio & conſtitutio elementares qualitates nequaquam ſequitur, ſed calidū & humidum quod eſt in ſemine, vnde viuentia omnia calido & humido magis abūdant, præſertim pueri, qui principia generationis magis attingunt. Per ſimplicem igitur generationem quatenus miſta ſunt producuntur, ex ſemine autem cum calore ſtellarū & matricis quatenus vitam habent, ita ut in viuentibus duæ ſpectentur formę quæ in animalibus magis ſunt conſpicuæ, quarum alteram, quæ poſterior eſt generatione, marcor niterimit, alteram autem ipſa putredo, quæ in plantis ariditatem; in animalibus autem ſenectutem ſequitur.

Caput ſecundum de putredine.

PVtredo ſimplicem miſtorum perfectorum generationem ſequitur, quæ illi maximè opponitur, propterea quòd miſta omnia perfecta putredine ipſa naturaliter diſſoluantur, quemadmodum ſimplici generationè formantur: Miſtionem autem

per

per putredinem dissolui accidit, quoniam in ea calor humidum & siccum amplius ob tinere non potest, ita ut pasiuæ qualitates dominari videantur: etenim cum calor natiuus siue proprius vnicuiq. humido a calore externo disipatur, humidum præualet, quod frigiditas copulare, & terminare cum non ualeat, necessarium est misti naturalem corruptionem fieri. Quare recte putrefactionẽ Arist. definit interitum proprij caloris esse in vnoquoque humido à calore externo. Etenim veluti primũ ab Hippocrate traditum est, potest calor non solũ a frigiditate, humiditate & siccitate, verũ etiam ab ipsa caliditate corrumpi. Calor itaq. a calore externo qui eo ualidior existit ideo corrumpitur, propterea quòd humidum quod est pabulum illius euocat & absumit, quemadmodum uidemus maiorem flammam minorem extinguere, quia pabulum minori arripit. Etenim in omni putredine res primum humidiores, postea uerò sicciores euadunt, ita ut nullo humore relicto in puluerem & cinerem abeant, frigus enim quod remanet in extinctione caloris, vnionem humidi & sicci seruare nõ potest, quare opus est ut mistum in puluerem & cinerem dissoluatur, Nam cum

fieri

fieri nequeat, ut corpus omne ab ambiente non alteretur, ambiens calore qui in eo motu, & lumine ſeruatur aptum eſt calorem omnibus corporibus inſitum alterare, qui poſtea mutatus cum proportionem cũ humore nequaquã ſeruet illumq. minimè obtinere ualeat, à calore ambientis euocatur, qui ubi totus diſsipatus fuerit, nullus calor elementaris in miſto remanet. ſed tantum frigiditas ipſa, quæ quodam etiam modo putredinis cauſa dici poteſt. Calorem autem extrinſecum effectricem putrefactionis cauſam eſſe, ambientis frigiditas teſtatur, quæ illam fieri prohibet, cum calida anni conſtitutione res facilius putredine corripiantur, nec non ea quæ minus calori ambiẽtis reſiſtere poſſunt: in omni igitur putredine a calore externo a frigore autem interno miſti natura deſtruitur, quæ in plantis ariditatem ſequitur, in animalibus uero ipſam ſenectutem, in quibus naturaliter marcore calidum illorum corrumpitur, ob humidi radicalis conſumptionem, in quibus vita ipſa ſeruatur: calor enim ſemper agens in humidum, tandem illud abſumit, & ſic a ſe ipſo extinguitur in morte naturali animalium: ita ut duos videantur interitus pati, alterũ quatenus viuentia ſunt,

alterum

alterum autem quatenus mista existunt. Nã post mortem animalium cadauer relinquitur, quod cum mistum sit ex quattuor elementorum qualitatibus conflatum, putredine corrumpitur. Homine enim, quemadmodum Hippocrates testatur animam agente, singula in propriam naturam discedunt, udum inquam in udum, siccum in siccum, feruidum in feruidum, algidum in algidũ: Nam si corpora omnia ex his constituta sunt, in ea etiã in interitu abire oportet, quemadmodum corpus humanũ quod in se habet sanguinem, pituitam & bilem vtranque, quæ quattuor elementorum naturam referunt: sanguis enim aëri similis est, pituita aquæ, melancholia terræ, bilis verò igni. Agere autem animam viuentia omnia intereunte calore natiuo propter alimenti defectũ quem marcorẽ Arist. appellauit in libro de morte & vita, scriptum est. Nam calor uel a se ipso extinguitur, uel a, contrario: à se ipso, quoniam cum continuo agat in humidum radicale, illud consumit, ita ut ad defectũ pabuli calor natiuus etiam deficiat, quemadmodum flammæ in lucerna accidit, quæ oleo consumpto extinguitur: in hac autem extinctione caloris & humidi consumatione mors naturalis

ralis animalium posita est,quę marcorem sequitur. Violenta verò mors accidit, & fit quando à contrarijs causis calor ipse extinguitur, potest aut ab omnibus corrumpi quod primum ab Hippocrate traditum est, quem Arist. in lib. de vita & morte cap. 3. sequutus est: à maiori enim calore potest calor animalium corrumpi, ueluti uidemus fieri a calore uehementissimo & febrili, similiter in ijs qui suffocantur siue strangulantur, extinguitur calor natiuus a maiori calore, qui nutrimentum rapit minoris caloris, unde si quispiam candelam accensam magno igni admoueat, extinguitur, quoniam maior ignis minoris flammę pabulum arripit. A,frigido uerò calorem natiuum corrumpi, venena, quę summa frigiditate prædita sunt, ostendunt. Diogenes enim cum crudum polypum deuorasset interijt, & Socrates cum cicutam bibisset ab Athieniensibus imperatam, quos in Philosophiam peccare non erubuit. Qui etiam in transitu alpium niuosarum hieme intereunt,a frigore calorem extingui declarant, ab humido etiam interitum patitur quoniā calorē humor obruit &obtūdit,siccitas autem cum nullum alimentum calori suppetere valeat illū extinguere etiam dicitur:

tur: ab ijs autem causis interitus non naturalis viuentium sequitur; naturalis vero tũc fit, quando calor à se ipso extinguitur propter alimenti defectũ, qui ut deficeret cõtinuo in humorẽ agendo fuit in causa, unde cũ animal nutritione destituatur obire necessum est: hoc igitur modo calor naturalis corrumpitur, qui à sanguine ortum habet a calore cordis elaborato, qui quidem nihil aliud est quàm uapor, qui à sanguine eleuatur, quo omnes animalis particulę nutriuntur, quemadmodum docet Arist. in 2. de generat. anim. cap. 3. vbi ait calorem, qui corpus animatum uiuificat, nutrit atq. conseruat, esse sicuti elementum stellarum à quo vita Mundi inferioris gubernatur, quia per omnes illius partes diffunditur, quemadmodum calor cordis qui ab eo ad singula membra transmittitur, omne enim animal natura calidum, & humidum esse oportet, & ipsum viuere tale, senectus autem frigida & sicca est, & quod mortuum videmus: in calido, & humido vita posita est, quare partes corporis duplici calore prēditæ sunt, quorum alter proprius illorum est, & suo humori coniunctus, alter uero a corde suscipitur, & hic est qui totũ id quod uiuit regit & uiuificat, quemadmodum

modũ inferiora omnia à calore celesti con seruantur, calor .n.cordis ille est qui agens in sanguinem vapores eleuat, à quibus corpus vniuersum calefit & uiuificatur, qui cũ extinguitur propter humidi radicalis defectum, animal corrumpitur, qui sane corruptionis modus viuentis naturalis interitus dicitur, quem putredo cadaueris sequitur, quod mistum est, in quo calidum & humidum elementare adhuc reperitur, ut iam putredo nihil aliud esse posit, quàm mistorum perfectorum quatenus eiusmodi interitus naturalis, quoniam interire unumquodque mistum tunc dicitur, quando calor elementaris vniuscuiusq. in proprio humido corrumpitur à calore externo: ita ut omnia quatenus mista sunt viuentia, putredine deficiant nisi uiolentia corrupta fuerint: putredo enim non cuiuscumq. caloris interitus dicitur, sed caloris elementaris, qui misti naturam cum ceteris qualitatibus componit, naturalis fieri quidem potest interitus huius caloris à calore externo, natiui uerò qui animantium proprius existit nequaquam, propterea quòd uiolenter ab externo calore interitum sui pati videatur: Humidum præterea quod in putrefactione dissoluitur aqueum est, humidum

dum uerò uiuentiũ eſt aëreum, ueluti ſcribit Ariſt. in libro de longit. & breuit. vitæ, congelabile enim eſt humidum aqueum, aëreum verò eſt incongelabile, & tale in oleo & adipe maximè apparet: calor & ipſe qui corrumpitur in putredine, alterius eſt naturæ à calore qui marcore extinguitur, ignea ſiquidem qualitas ſit quæ ab externo calore debilitatur, & corrumpitur non autem vapor quidam a ſanguine eleuatus à calore cordis, qui ſubſtantia quædam eſt in ipſis animalibus, cum verius calidũ quàm caliditas dicatur, veluti Gal in 2. de Elementis ſcribit, conſtare animalium corpora calido, frigido, humido, & ſicco. Vterque autem calor interitum admittit, quando alimento ſuo deſtituitur, etenim in putredine cum calor externus humidum miſti poſsit euocare, totumq. abſumere, calorem miſti proprium qui in eo reſidebat, neceſſarium eſt corruptionem pati: videntur igitur quæ putrent corpora primum humida fieri euocatione humoris aquei ad partes exteriores & ſuperficiales, deinde autẽ ſicca, cum in eis ſola frigiditas, & ſiccitas relinquatur, quæ ſunt in cauſa ut deſinat in puluerem & cinerem miſtum quod putrefactione affectum eſt, videtur autem hic

caloris

caloris interitus, & si à calore externo contingat naturalis esse, quoniam continens tantum cooperatur aut contraoperatur. Nã si calidum fuerit, putredinem adiuuat: si verò frigidum, illam arcet & impedit: Calor verò natiuus qui infirmus redditur, cũ non posit humidum et siccum obtinere, relicta in misto frigiditate causa putredinis interna illa dicitur: vim præterea suam ita imprimit calor ambientis corpori misto ut non omnino in externam causam putredo sit referenda, alteratio enim quædam ab ipsis qualitatibus quæ in misto sunt oritur, quæ dissolutionis eius causa dicitur. Omnis igitur caliditas siue aëris siue alterius corporis, quòd rem putrescentem contineat, putredinis causa dici potest: in puris enim generatione partium calor quæ humorem putrescentem continent illam efficit, nec non eorum quæ à Medicis partibus affectis admouentur. Nam corporis continentis frigiditatem illam impedire, & differre videmus, citius etiam in locis calidis humata cadauera quàm in frigidis putredine corripiuntur: quemadmodũ constitutione calida facilius quàm frigida. frigiditas enim siue fuerit aeris ambientis siue cõtinentis corporis putredinem impedire potest,

teſt, veluti caliditas illam efficere, frigidiori temperamento prædita corpora cum valde calori ambientis corporis reſiſtant, difficillime putrent, quemadmodum ea quæ multum caloris habent. Metalla enim quę frigidum temperamentum nec non humidum terrenum valde compactum in eorũ conſtitutione obtinuerunt, difficillime putreſcunt, ſimiliter aromata quæ plurimo calore abundant valdeq. humidum ſicco cõmiſtum habent: Quæ uerò plurimum humoris & modicum caloris tenent, facillime putredine corripiuntur, quemadmodum poſtea latius oſtendemus. Rectè igitur putredinem Ariſt. dixit eſſe caloris proprij in unoquoque humido corruptionem ab externa caliditate factam, Ad miſti enim conſtitutionem cum quattuor elementa concurrant, quorum qualitates ad quandã ſymmetriam redactæ fuerunt, neceſſarium eſt omne miſtum quod perfectum eſt caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate participare. Itaq. vbi calor qui omnia gubernat debilitatur, proportio omnium qualitatum diſsipatur, nec non paſsiuę qualitates imperium aſſumunt, quare miſti naturam interire opus eſt, quam vbi corrumpi accidit, fit naturalis miſti interitus, qui qui

C dem

dem nihil aliud est quàm ipsa putredo. Nã calor in misto si alijs qualitatibus conferatur, formæ rationem habet, perficitur enim & proportionẽ quæ ad naturam misti desideratur seruat, qui cum a ceteris superatur sicci & humidi cõmistionem non continet, atq. humidum amplius nõ terminat, quare tota misti constitutio corrumpitur. & quod est terra in terram abit, quod aqua in aquam, quod aer in aerem, & quod ignis est in ignem. Mista igitur omnia quæ ex quattuor elementis compacta sunt, per simplicem generationem putredine naturaliter interibunt, cuius generis sunt primæ animalium partes quas similares vocamus, nec non humores quattuor, qui Elementorum naturam, si toti corpori comparentur, referunt: Sanguis aeri simils est, bilis igni, pituita aquæ, melancholia verò terræ, quorum quæ plurimo humido abundant, parum autem caloris obtinuerunt in corporisbus animaliũ, facilius putrescere possunt. Aquam etiam putrescere cum videamus, erit pituitæ putredo, & si frigido temperamento prędita sit, nõ enim omnino calore destituta existit, cum mistum similare dicatur, quare non est negandum illam putrescere: aquæ si quidem et terræ & quorũ

uis

uis eiusmodi corporum putredinem fieri Arist. scribat in V. de generatione animalium cap.4. plurimum enim humoris cum obtinuerit pituita caloris autem parum, illam putrescere oportet, quod ita se habere temporum canities quæ prima fit declarat, plurimo enim humore tempora prædita sunt, occiput autem modico aut nullo, pisces præterea, & exanguia facilius putrent ob penuriam insiti caloris, & humoris abundantiam, propterea quod non possit calor eorum debilis calori externo resistere, quod fructibus etiam horarijs accidere cernimus: in partibus preterea corporis nostri quibus parum caloris inest, humoris autem plurimum putredines fieri, animalia quæ in illis ex putredine ortum habent, ostendunt: & senes, qui morbis pituitosis sunt obnoxij & ab illis plurimum conflictantur. Ea uerò quæ multo calore prædita sunt humoremq. ualde compactũ habent atque humidum cum sicco optimè commistum, difficillime putrescunt, continentis siquidem calor eorum calorem immutare facile nequeat, ueluti difficillimè etiam calorem eorum quæ à prædominio frigida sunt, immutat. Caloris enim proprium cum sit heterogenea disgregare, a calo

re externo caliditas elementaris poteſt in miſtis ab alijs qualitatibus ſecerni, quæ cum naturalis ſit & temperata, quæ excreta ſunt concreſcere facit ut aliquod animal ex putredine generari etiam contingat, vt etiam in frigidiſsimis regionibus putredines cõtingãt, in quibus animalia generantur & viuunt, propterea quod non ſint ea loca calore celeſti deſtituta, quem lumen & motus celi producere poteſt, atque vt Medici autumant cum prohibita traſpiratio putredinis cauſa ſit, fieri poteſt ut calor miſti ita augeatur meatibus conſtipatis, ut putrefactionem adiuuet. Scythę enim cauernas inhabitant, in quibus eſt calor atq. ex continua expiratione animalium aer ambiens etiam calefit & alteratur, ita ut in frigidis regionibus etiam à calore externo putredo contingere uideatur. Secundum enim meditatem elementa cum maneant in miſto, quemadmodum ab Ariſt. in lib. de Elementis traditum eſt, fieri poteſt, ut calori ambientis minime reſiſtat calor elementaris, qui in miſtis reperitur, etiam ſi regio frigidiſsima dicatur: modicus enim ille eſt, ſi calori ambientis conferatur. Nec verum eſt quod a Medicis adduci ſolet, putrefactionem non eſſe natiui caloris

loris interitum in proprio humore, quoniã in hecticis quę à putridis differunt, hoc nõ contingat: etenim cum membra solida humore non destituantur proprio, in eis etiã fit putredo, quæ si ut motus quidam naturalis consideretur, non autem ut affectus quidam in humoribus pręter naturam dicitur, possunt hecticæ quodammodo putridæ appellari, ita enim illas, cum a subiecto Medici febres hecticas putridas non appellarunt, distinguant. Nec quod Arist. dixit, calorem proprium in putredine interire, Medicorum rationes euertunt, quæ in febricitantibus calorem potius augeri, probare videntur. Non enim eadem est ratio putrediuis, quam Medici contemplantur & eius quam hic nobis Arist. describit, nec non caloris qui in vtraque alteratur. Nam putredo alteratio quædam præter naturam est, qua humores propter obstructionem affecti sunt, ille etiã calor qui in præter naturalem mutatur substantia est. putredo autem quæ simplici generationi maximè opponitur, alteratio naturalis est. calor vero qui interitum patitur naturalis existit, & qualitas elementaris, non autem substantia. de qua sane dubitatione priores fusius scripserunt. quos in prælectio-

ctionibus noſtris ſequuti ſumus ut hoc loco, in quo ueritati ſtudemus, probabiles multorum diſputationes minime interponere debeamus.

DE

DE COCTIONE ET INCOCTIONE LIBER SECVNDVS.

DE naturali autem miſtorum omnium perfectorum ortu & interitu, quem putrefactione fieri diximus, cũ ſatis dictum ſit a nobis: Reliquum eſt ut de coctione incoctione & de omnibus earũ ſpeciebus dicamus, illæ enim etiam à calore & frigore ortum habent, quandocumq. patibiles qualitates terminare poſſunt, atq. uidetur concoctio in miſtis iam genitis & natura conſtantibus generatio quędam eſſe, propterea quòd alteratio quędam ſit, quæ ad ulteriorem perfectionem ea ducat, quæ per ſimplicem generationẽ producta fuerunt, incoctio autem quædam corruptio dici poteſt, cum ne perfectionem illa ſuſcipiant ſemper impediat, in omni autem miſto coctionem, & incoctionem fieri contingit, quoniam in illis primæ qualitates agant & patiantur, cum caloris, frigoris, humoris & ſicci operationes exerceant, quæ in viuentibus maximè apparent, caloris enim pro-

prium cum ſit perfectionem & naturam viuentibus tribuere, frigoris autem illam impedire, coctio auctore Ariſt. nihil aliud eſſe dicitur, quàm perfectio à naturali & proprio calore ex oppoſitis patibilibus: incoctio vero imperfectio ob proprij caloris defectum à quo humidum quod vtriuſq materia exiſtit, minimè terminari poteſt. Humor enim coctionis materia dicitur, quoniam illud eſt quod in coctione terminatur, atq. perficitur, tenuiorem enim partẽ humoris & ſuperfluam ſeparat & diſſoluit calor in coctione, craſsiorem autem terminat. Ab externo etiam calore fieri uidetur, ſi quidẽ eorum quæ ventriculo admouentur caliditas, ciborum coctionem adiuuet, cooperatur enim calor externus, quemadmodum frigiditas contraoperatur, quæ coctionem impedit & debilitat, proprium tamen in unoquoq. coctionis principium eſt calor inſitus, vnde quę maiori calore prędita ſunt facilius coquũtur, quod in humoribus noſtri corporis fieri videmus, qui in alimentum facilius mutantur, quando calore preternaturam minime ſunt affecti: coctio enim humorum non ob aliam cauſam fit, quàm aut in alimentum à calore partium mutentur, aut ſi ob cauſam aliquam morbo-

morbosam a sua natura recesserint, illã consequantur, quoniam omne quod concoquitur aut nouam formam acquirit, aut naturam adhuc imperfectam absolutã induit, ob quamuis uerò causam Natura humorũ coctionem molita fuerit, perfectionem suscipiunt, quam res omnes acquirere uidentur, quando proprium earum humidum à calore proprio terminatur. Etenim quæ nondũ cocta sunt imperfecta apellamus, veluti mustũ vinum imperfectũ, & semen in pueris, calor igitur cum ille sit, qui naturã rerum fouet & producit, a calore insito exteriori etiam cooperante veluti ab effectrice causa coctionẽ in ijs quæ naturã cõstant fieri uidemus ab humore autem veluti a sua materia prouenit, quoniam coctio finem suum numquam assequitur, donec humidum in quem calor agit, terminum susceperit cum pars humoris tenuior & inutilis quæ humido frigiditatem quandam tribuere uidebatur sublata est. atque ab ipso calore separata, potest enim calor heterogenea disgregare, homogenea autem congregare, atque perfectionem quandam rebus inducere: quod in alimenti coctione quæ in uentriculo fit, & in hepate maximè apparet, in qua partes alimenti inutiles ab

utilibus separantur, ut in coctione ventriculi excrementa a chylo, in hepate verò sanguis valde biliosus aut melancholicus a sanguine puro, qui ad vniuersas corporis partes demandatus ab earum calore adhuc perfectionem ulteriorem, quæ assimilatio dicitur, suscipit: alio enim sanguine partes biliosæ nutriuntur, alio pituitosæ, alio uero quæ melancholicæ dicuntur. Omnis autem alimenti mutatio ut vtile reddatur & nutritioni conueniens, concoctio appellatur. quæ à natiuo calore semper efficitur. Nisi musto quod uinum crudum dicitur calor insitus adesset ebullitio non fieret, nec vaporum resolutio, similiter nec in tumoribus præter naturam, in quorum coctione dolores fiunt, propter motum, & humoris ebullitionem, in qua partes tenuiores euaporant, quod pruritus indicat, qui fit cum pus generatur. Quamobrem non solum crassescit humor in ipsa coctione sed maior etiam efficitur. Nam cum à calore partes tenuiores in coctione euaporent, ut crassum magis euadat fieri potest, proprium etiam caloris cum sit res dilatare maius id quod coquitur euadit, quod in tumoribus clarum est qui ubi concoquuntur attolluntur siue maiorem molem acquirunt, uri-

næ

næ præterea, & excrementa quæ concocta sunt crassitiem quandam & consistentiam habent, Etenim cum eorum humidũ, a calore sit terminatum, consistentiam suscipiunt, crassitiem verò, quoniam partes humidi tenuiores a crassioribus segregauit calor, qui heterogenea disgregat homogenea verò congregat. Subtiles enim & tenues vrinas similiter excrementa liquida, & non compacta & inæqualia in partibus superficialibus inconcocta Medici numcupant. Nam etsi inutilia sint concocta tamen solent appellari. Calidiora præterea, quæ concocta sunt euadunt, quoniam minus humoris aquei habent, partes enim humoris tenuiores cum aqueę magis essent frigiditatem augebant, illis igitur sublatis minor frigiditas reperitur. in re concocta, in qua calidum præualet, humidum enim rei concoctæ temperatum efficitur, quare fructus immaturi frigidi sunt difficillimeq. à natiuo calore superantur & coquuntur. Quòd si in quibusdam ante coctionem maior caliditas appareat, ut in musto, propter multitudinem terestrium vaporum in quibus calor etiam manet, propria tamen caliditate non est calidius vino concocto, & perfecto. Humores etiam in corpore peccantes

cantes ante coctionem calidiores sunt, cũ calore preternaturam affecti sint, post coctionẽ verò proprio calore & natiuo quod temperatum est calidiores dicuntur, esse autem omne concoctum calidius inconcocto, sapor indicat, qui in coctis dulcedine participat, in incõcoctis autem acerbus est & ponticus, quem frigiditas facit. Quod etiã ita rem se habere vinũ corruptũ declarat, quod putrescit proprio calore destitutũ & in acetum mutatur, quòd frigido est temperamento. Concocta igitur omnia cum proprio calore ualde sint prædita, calidiora existunt, inconcocta uerò frigidiora. Quędam uerò & si in calefactione aut post coctionem tenuiora reddantur, existimandum tamen non est minimè crascescere ea quæ coctionem perfectam habent, Aquę enim quæ in calefactione, tenuior efficitur, concoctio non est: chyli autem in sanguinem, qui substantiam tenuiorem habet mutatio, non dicitur concoctio, sed potius generatio sanguinis ex chylo, sequitur enim ipsam coctionem hæc mutatio, uidetur tamẽ eius mutatio ueluti spirituum uitalium, cum in animales transeunt, aliquid coctionis esse, Nam in coctione alimenti primum fit à naturali calore segręgatio

gatio partium inutilium ab vtilibus, ita ut alimentum tenuius euadat, cum autem calor in partem utilem coquendo agit, illam crasſiorem reddit, humidum illius terminando, quod partium conſiſtentia in alimẽto declarat, in venis enim ſanguis qui futurus eſt alimento partibus à calore earum magis elaboratur & perficitur: ita ut omne concoctum craſsius ſemper euadat. Quomodocumque enim ipſa concoctio fiat elixatione, aſſatione aut putredine in craſſando procedit, non autem etiam attenuando quemadmodum vulgares Medici putarunt. Etenim etſi in humoribus præparandis ut commodius purgentur, modo in craſſantibus modo attenuantibus utamur, hoc concoctio non eſt: a Natura ſiquidem humores vtiles coquantur non autem inutiles & putridi, quorum Medicus euacuationem molitur. Vera itaq. coctionis materia cum ſit ipſum humidum a quo calor partes inutiles & tenuiores ſeparat, ſemper craſsitiem quandam acquirit, quam partium illius cõſiſtentia oſtendit. Hoc enim modo res miſtę craſsiores euadunt, qui quidem ſimplicibus minime competit, quoniam aer & ſi humidus ſit a calore rarefit, terra autem calore non craſſeſcit, ſed hume

ctata

ctata, ueluti cum lateres à figulo formantur. aquam ignis caliditas semper rarefacit. Assatione & elixatione coctionem fieri, species coctionis indicabunt, at quomodo nã illam putrefactione fieri contingat, dubitationem aliquam habet. Non enim unus & idem calor est causa effectrix coctionis, & putredinis, quoniã alter externus siue prçter naturam dicitur, qui putrefactionem facit, alter uerò natiuus & internus qui coctionem molitur, quemadmodum Arist. etiam scribit in 4. de generatione animaliũ aduersus Empedoclem, cap. octauo cum inquit lactis naturam eandem esse quam excrementi, ex quo vnumquodq. generetur apertum est, eadem enim est materia quæ alit, & ex qua generationem, natura constituit, eaq. sanguineus humor in sanguinem habentibus est, lac enim sanguis concoctus est, non corruptus, quemadmodum Empedocles putauit. cum ait octaui decimo mẽsis pus extitit album, pútredo enim coctioni contraria est, pus autem putredo quedam est, lac verò res est cõcocta prorsus cõcocta.n.omnia dulcia sunt, putrida autẽ amara, quare putredine aliquid concoctionẽ suscipere dubium existit. An cum videatur putredo aliquid coctionis esse, res uiden-

dentur quodammodo putredine conco-
qui, veluti humores peccantes & qui sunt
prȩter naturam similiter in alimenti coctio
ne cum sit necessarium fieri utilis ab inutili
separationem, inutilia autem cũ putrescant
dicuntur putredine res concoqui, quod in
tumoribus prȩter naturã magis patet, qué-
admodum Gal. in 3. Artis Med. scribit.

Cap. 2. De Maturitate & cruditate.

MAturatio prima est coctionis species, videtur enim concoctio quȩdam esse. Nam quemadmodum Arist. scribit, alimenti, quod fructibus inest coctio, maturitas esse dicitur, propterea quòd suam perfectionem fructus maturatione ipsa consequantur. Etenim in viuentibus cum perfectum unum quodque dicatur, quando sibi simile producere potest, semina quȩ in fructu sunt ante maturitatem hoc præstare nequeunt: commune enim plantis & animalibus est ipsum viuere, quod nihil aliud est quàm ipsum esse, unumquodq; autem cum semper appetat esse, generatione sui similis æternitatem consequitur, at non omni tempore propagationem molitur, sed quando est perfectum vnde pueri & qui in vltimo

senio

ſenio ſunt conſtituti non generant, propterea quòd ſemen imperfectum & minime concoctum habeant. Quare Maturatio erit perfectio alimenti quod eſt in fructibus a proprio calore facta, extrinſeco etiã cooperante: quæ quidem proprie fructuũ dicitur, & frugum quæ in terra ex ſemine producuntur, dicitur autem Maturatio perfectio alimenti quod in illis reperitur, humidũ uerò eſt qđ à terra attrahitur, aqueũ enim eſt humidum quo fructus nutriuntur & incrementum ſuſcipiunt, quod vbi à calore perficitur, maturitatem fructus aſſequuntur. Maturitatem autem cum coctionem quandam eſſe dixerimus, ea quæ illam admittunt, craſsitiem quandam acquirunt, ita ut ex ſpirituoſis aquea fiant, ex aqueis verò terrea, quod in plantis cernimus, quæ primum flores & folia quàm fructus emittunt, ex tenuiori humore & inconcocto magis flores & folia producuntur, fructus autem ex craſsiori eoq. magis cocto, veluti in ſecundo de plantis docet Ariſt. Seminis etiam alimentum craſsius exiſtit & magis à calore elaboratum, ueluti in illis frugibus experimur, quæ theca integuntur, prius enim theca ex tenuiori humido generatur, fructus autem qui illa tegitur ex craſsiori,

quod

quod in femine uiri cum fit magis coctum & à maiori calore elaboratū apparet quod in femine feminę magis eſt compactū. Calor igitur cauſa eſt maturitatis ſiue internus ſiue externus fuerit, quoniam ab utroque fructus maturitatem ſuſcipere videmus, & omnia quæ aut proprie aut ſimilitudine quadam matureſcere dicimus: Calor ſiquidem externus illam adiuuet, natiuus autem & internus abſoluat & perficiat. à frigore autem per accidens contingit, quoniam calor ſeſe colligens validius agit in humidum, quod in fructibus quæ Autumno matureſcunt, apparet, quemadmodum hieme ventres melius cibos concoquere. Quod præterea ait Ariſt. mollitiem acquirere quæ maturantur propterea fit, quoniam partibus humoris frigidioribus, quemadmodū tenuiores ſunt, euocatis, frigus amplius nō congelat ipſum humorem quod duritiem afferebat. Vnde calidiora ueluti omnia cōcocta etiam fieri oportet. Cruditas quæ prima incoctionis eſt ſpecies, maturitati opponitur, quæ & ſi multis modis dicatur, omnis tamen à frigore aut diminuto calore ortum habet. Non enim calor modicus potens eſt humidū terminare & partes illius tenuiores ſegregare, ex quo fit ut alimentū

imperfectum maneat, quo fructus nutriuntur & augentur, ita ut esui minime sint idonei, tenuis siquidem eorum adhuc sit succus, & frigidus coctioni repugnans, quoniam calorem uentriculi quæ frigida sunt obtundere soleant, Itaq. Cruditas nihil aliud est, quàm imperfectio humoris siue, eius quod crudum est ob natiui caloris defectum, aut frigoris exuberantiam. In fructibus enim ante maturitatem cum multũ humoris adsit obtunditur calor proprius, atq. valde calori externo, qui maturitatem adiuuat, resistit. Quare fructus immaturitas sequitur: Humidum autem materia est cruditatis calor internus aut externus diminutus, qui frigiditas appellari potest efficiens ipsum dicitur. Igitur cum humidum terminare atque perfici nequeat a frigore, prioré naturam quæ tota aquea est retinet, inutileq; & imperfectum manet. utile uero & perfectum vi caloris efficitur. Nam si pomum non maturum igni quispiam admouerit esui idoneum reddetur, quoniam partes inutiles humidique tenuiores dicuntur frigiditatem pomi augentes, ab igne separantur & resoluuntur. Concoctum enim dulcedinis est particeps, incoctum autem ipsius aciditatis, propter dominãtem frigiditatem

ditatem quam adhuc habet. videntur itaq. quæ cruda sunt tenuiora, quę verò matura crassiora, propterea quod nullum humidū secundùm se maturatur sine sicco. Necessarium enim est fieri sicci cum humido mistionem, ut humidum consistentiam quandam suscipiat, & terminum retineat: quoniam humidi partes absq. sicco numquam cohærere possent. Mistionē hanc sicci cum humido calor efficit, quare maturationis ipse causa dicitur, frigus autem cruditatis, in qua minime fieri videmus sicci cum humido permistionem, propterea quod partes humoris tenuiores sui frigiditate illam impediebant. Quod Agricolæ intelligentes ubi alimentum idoneum plantis adhibere uolunt, aquam impuram & stercoribus commixtam admouent, fit enim quędam aquei alimenti concoctio ex huiusmodi aquæ & terræ mistione, unde aqua minime crassescit, sed calefactione tenuior redditur. Multum enim humoris habet, siccitatis autem nihil, oleum uerò & uinum calore crassescunt & consistunt, propterea quod aliquid sicci terestris in eorum substātia reperitur. Humidum quod est coctionis materia cum sit humidū misti, non est absque sicco, quare humidum uere dicitur

coctionis materia. cocta itaque & cruda, quomodocumq. talia esse contingat, proprium humorem habent, qui uel a proprio calore vel alieno pati potest, aut non pati. vnde vrinas destillationes & egestiones crudas dicimus, eo quòd non sit victum & terminatum eorum humidum ab ipso calore, similiter lac extra animal crudum est, cum a calore terminari non potuit, nec non & reliqua quæ improprie cruda possunt nuncupari.

Cap. 3. De Elixatione & inquinatione.

ELixatio quæ secunda coctionis species dicitur, & cui inquinatio ipsa opponitur, Maturitatem sequitur. Etenim & si a calore fieri uideatur, omnis calor illius efficiens nõ est causa, sed calor humidus agẽs in humidum interminatum eius quod elixatur, illa igitur proprie elixari dicuntur, quæ ab humida caliditate siue feruore aquę coquuntur, veluti carnes & pulli in aqua cocti. quare Elixatio nihil aliud erit, quam coctio interminati in humido existentis eius quod ab humida caliditate coquitur, interminatũ autem ipsius humoris aut spirituosum aut aquosum existit, quod tamen ulte-

ulteriorem perfectionem requirit, ut utile reddi posſit aut eſui idoneum: carnes enim quibus homo ueſcitur, humiditate quadã præditę ſunt, quę pro nutritione eſt inutilis, elixatione igitur aut aſſatione perficitur, ita ut utilis euadat & ſuauis. Elixatione enim humiditas illa inutilis, & tenuior euocatur, ita ut elixata ſicciora fiant aſſatis & moliora, ſicciora enim fiunt propterea quòd multa humiditas extrahitur, moliora uero quoniam humiditate aquæ calida implentur, humiditas enim frigida duriciem quandam corporibus adhibet. Namque elixantur cum à calore humido coquantur, meatus eorum aperiuntur, ita ut aqueus humor a calore euocetur, alienus autem inducatur, quoniam calor meatus aperit, qui alienum humorem facile admittunt. Aſſata autem quæ a calore ſicco coquuntur, humidiora ſunt elixatis, quoniam calor exſiccans partes exteriores carnis cruſtam inducit, quę impedit ne humor internus effluat, corpora igitur quæ multo humore aqueo prædita ſunt elixantur, ueluti cibus & potus in ventriculo, lac & muſtum igni admota quia coquuntur à caliditate eorum humori impreſſa, lac enim & muſtum in ęneo uaſe poſita & ſi uideatur pati à calore ignis,

attamen elixantur, quoniam ignis caliditas humori illorum infunditur, ita ut ab humida caliditate coquantur non autem a sicca. Metalla uerò & alia a quibus humoris aliquid educitur. ut minora euadant, quodammodo elixari dicuntur, veluti aurum impurum a quo argentum extrahitur, Medicamentorum etiam elixatio & eorũ omniũ eſt, a quibus humor educitur & ab igne ſeparatur. Quæ vero proprie elixantur craſſiora aut tenuiora fieri poſſunt, ut lac ſi in caſeum mutetur craſſeſcit, ſi uerò in ſerum tenuior redditur, oleum quod nihil horũ patitur, minime elixatur, in eo ſiquidem humidum aereum eſt & tenax, quod non poteſt ab oleo ſeparari, à frigore fieri quidẽ poteſt ut oleum craſſeſcat, elixatio igitur ſiue à naturalibus ſiue ab artificioſis cauſis proueniat, non niſi à caliditate humida ortum habet.

Inquinatio quæ Elixationi opponitur, nihil aliud eſt, quàm imperfecta elixatio, quæ ob caloris defectum quod in humidũ miſti interminatum agere non poteſt, ortum habet. Etenim caloris defectus & humoris exuperantia perfectam elixationem impedire ſolent, in ventriculo enim frigidiore temperie affecto, fit inquinatio alimenti

menti, quam lienteria ſequitur ob humoris multitudinem, qui ſua frigiditate calori vẽtriculi imbecillo etiam reſiſtit, quod illi probant, qui ventrem multis fructibus atq; immaturis implent, plurimam enim frigiditatem ſecum habent, ob multitudinem aquei humoris, quem adhuc retinent, qui quidem etiam in cauſa eſt, vt inquinata duriora elixatis appareant: multum enim humorem interminatum cum frigiditas ſequatur, eſt neceſſarium duritiem adeſſe, propterea quod frigiditas condenſare congelando videatur: atq; cum humoris extranei nihil inquinata ſuſcipiant, molleſcere nequeant, quemadmodum illa quæ elixãtur. Non enim ubi plurimum humoris, ibi molitiem adeſſe opus eſt, quoniã humor multus cum frigiditate duritiem facit, ueluti fructus immaturi oſtendunt. Quare & ſi non euocetur humor ab illis, quæ imperfectè elixantur, molliores tamen elixatis nequaquam redduntur.

Cap. 4. De Aſſatione & toſtione.

ASſatio poſtrema eſt concoctionis ſpecies, cui toſtio contraria dicitur. A calore etiam illa ortum habet, ſed non a quo-

cumque efficitur, sed tantum a calore sicco, quia ignis proprius existit. Tostio verò ab exiguo ignis calore contingit, quoniam humidum eius quod assatur terminare siue perficere non potest, etenim cum humor calorem debilem obtundat, assatio impeditur. Tostio autem quæ Assationi opponitur, torrefactio non est, quoniam hæc à calore sicco uehementi fieri uideatur. qui totum eius quod assatur, humorem absumere potest. Assatio alimenti etiam uidetur esse, quemadmodum Elixatio, & si in artefactis magis patere uideatur: Natura enim ciborum assationem facit, quando ventriculus intemperie calida affectus est, quod ructus nidorosi indicant, vehemens enim caliditas humorem ventriculi absumit, ita ut potius cibi assatio quàm elixatio contingat, ossa præterea & partes animalium solidiores assatione decoctionem suscipiuut, calor siquidem siccus ille sit, qui duritiem & constantiam quandam partibus inducat, vnde iuuenes habitum pueris solidiorem habent, quoniam calore sicco sunt prę diti, pueri uerò humido calore abundant. in arte autem illam a sicco calore fieri manifestum est, nam quæ assantur sicciora euadunt secundum partes exteriores, in quas

ignis

ignis calor magis agit, qui nisi a crusta impediretur inducta, totum humorem eius quod assatur euocaret, & absumeret, quod cum facere nequeat, humiditate propria assata humidiora sunt elixatis: si enim totum humidum absumatur, torrefactio potius aut exustio erit, quàm assatio eius quod ab igne coquitur. valde itaq; coqui laborant in assatione carnium, propterea quod non sit facile ęqualiter partes exteriores & interiores calefacere, cum exteriores magis sint propinquæ calori sicco quàm interiores eius quod assatur, ex quo etiam fit ut exteriores ficciores euadant omni fere humore dissoluto, interiores autem humidiores remaneãt, quoniã crusta quæ inducitur partibus exterioribus, impedimento est, ne totum humidum euocetur, quod calor humidus in elixatione non facit, cum meatus aperiat, veluti balneorum et aeris caliditas. Assationem igitur Natura ueluti elixationem molitur, quoniam alimenti assatio fit in viuentibus quam Medici cruditatem nuncupant, & si coctionis species quædam sit, cum a calore non autem a frigore producatur, quandamq; perfectionem ijs quæ assantur, inducere uideatur, quod cruditas præstare minimè potest, quæ nihil aut perfectum

fectũ aut vtile reddit, Tostio autem est incoctionis species, quoniam a calore sicco diminuto fieri solet. ita ut perfectionem nullam afferat, rebus in quas calor ignis debilis agit, quare ipsi Assationi uere opponitur.

LIB-

Digitized by Google

LIBER TERTIVS DE passionibus quæ ab humore & sicco mistorum ortum habent.

Nunc autem illas passiones explanare oportet, quæ patibiles qualitates, quando in mistis terminatę fuerunt, sequi videntur. Ab illis enim etiam quædam mistorum affectiones ortum habent, siquidem principia eorum sint, quemadmodum calidum & frigidum: Nam mistum omne perfectũ, cum ex quattuor elementis constare oporteat, primæ qualitates uniuscuisq; principia appellantur, quorum calor & frigus rationẽ formæ habent, humidum autem cum sicco ipsius materiæ, actiua enim calor & frigus dicuntur, passiua verò humidum & siccum, quorum alterum est, aquæ alterũ verò ipsius terre, ex quibus omnia animalia cõstant, quę in terra & aqua solum uiuũt, aqueum enim humidum misti est, quoniam aqua & si cale fiat, humiditate non priuatur elementare autẽ humidum propriũ est aeris, cum aqua frigidũ elementare sibi vendicauerit, quod hoc loco minime intelligimus, humidum igitur

igitur aqueũ & ſiccum terreum erunt prin cipia ad quæ miſtorum paſsiones ſequuntur, quę primum locum in ſecundis qualita tibus tangibilibus obtinuerunt, ex ijs enim omnia animalia conſtare videmus & in illis uiuere & ſi uolucres volatu aerem petant, ita ut in eo quidã illas viuere putent, quod tamen verum non eſt, cum ductæ ab imaginatiua aerem petant. Quædam præterea animalia quę in fornacibus ærarijs generantur a vapore eleuato ab igne, non eſt exiſtimandum ignea eſſe, & in illo nutriri, ſed nutriuntur eo vapore ex quo genita fuerunt, quare ſi a fornacibus exeant moriuntur, cum deſtituantur proprio nutrimento quod non eſt ignis. Humido itaq. terminato cũ omnia animalia nutriantur tantum in terra & aqua viuere poſſunt, in igne verò & aere nequaquàm: aerem enim inſpirant non ut eo nutriantur, ſed ut refrigeriũ quoddã caloris ſuſcipiant, vnde fabula eſt quędã animalia aere nutriri ueluti Chamæleonta, & Salamandram igne, cum ob ſui frigiditatem in modico igne non comburatur ſed uiuat. Primæ itaque affectiones quę ab humido & ſicco ortum habent, durum & molle dicũtur, omne enim corpus quod terminatum eſt, mollitiem aut duritiem habere

bere necessarium existit: humidum siquidem molities sequatur quod aqueum est, durities autem siccum quod terreum dicitur, cum utrumque in mistis fuerit terminatum, alterum enim alteri ut terminetur causa fieri potest, quare si a sicco terminum humor habeat, corpus durum euadet, si vero siccum ab humido illum suscipiat, reddetur molle. Nam corpora dura apparent quæ magis terrea existunt, mollia autem quæ aqua magis abundant, ossa enim in animalibus quæ plus sicci quàm humidi obtinuerunt, dura sunt, carnes uerò quæ plurimum humidi continent, molles ad tactum esse probamus: In secũdis qualitatibus quæ tangibiles sunt, ab humido & sicco molle & durum primum producuntur: Nam humidum cum proprio termino sit interminabile, siccum autem proprio termino facile terminetur, mollitiei duritieiq. causę fore videntur. Molle enim ad humidum reducitur, quoniam facile cedit tangentibus, ita ut molle nihil aliud sit quàm humidum quod aliquid est passum, terminatum enim est humidum aqueum, quod misti propriũ factum est, cum amplius non fluat. Durum verò ad siccum reducitur, quoniam durum cum sit compactum & congelatum tangen

ti mini-

Digitized by Google

ti minimè cedit. Tenue quinetiam & lentum quæ mollitiem quandam præſe ferre dicuntur, ad humidum reducuntur, tenue enim repletiuum eſt corporis ſecundum omnem partem, & facile alieno termino terminatur, quod humidi proprium exiſtit, lentū autem cum nihil aliud ſit quàm humidum quoddam lentore affectum, quale in oleo & pice cernitur, ad humidum reducitur. Craſſum cum arido quæ inuicem opponuntur ad ſiccum reducuntur, craſſum enim non eſt repletiuum nec facile terminatur: Aridum autem dicitur eſſe quod perfecte eſt ſiccum, adeo ut etiam ſit congelatum propter humoris defectum. Itaque cum molle ad humidum reducatur, nihil aliud erit quàm corpus quod tangenti cedit, non circum obſiſtendo, durum autem quod non cedit in ſeipſum ſecundum ſuperficiem: etenim dura ſi impellātur, tangenti quodammodo cedere videntur, immobilia tamen ſi permanſerint, nō cedunt, mollia uerò corpora cedunt tangenti, at nō utcūque, ſed non circum obſiſtendo, quoniam aqua cum tangitur a remo aut digito diſsilit, & ſeparatur, non enim cedit compreſsione ſuperficies in profundum, ſed circum obſiſtit, ſimiliter & aer qui a tangente

frangi

[71-2]

frangitur & diuellitur, mollis nequaquam dicitur, tribus enim corpus molle præditũ esse oportet, superficiem eius cum tangitur integram seruari & in profundum à cõprimente detrudi, necessarium extat, nec non in se manere, nec locum mutare cum tangitur, in quo ab eo quod imbecillum dicitur, discrepat, vnum pręterea nec non continuum esse debet, quoniam cumulus tritici cedit quidem tangenti propter multitudinem partium quæ nõ sunt continuę, sed tantum contiguę, quare secundum partes cedere potest, secundum totum uerò nequaquam. Durum etiam quoniam secundum se resistit tangenti, a valido differt, quoniam validum loco mutatum resistit, aut quidpiam impellit ueluti uentus validus & turbo. Simpliciter igitur molle & durum hęc sint, quæ ad tactum talia fore iudicamus, nulla cum altero facta comparatione, quorum alterum excedens, alterum verò deficiens potest numcupari: Molle enim & durum simpliciter humorem & siccum mistorum, quæ terminata sunt sequũtur, non autem humidum & siccum improprie dicta, cuius generis est vdum, quod alieni humoris est particeps, secundum superficiem, nec non irrigatum quod in profundo

profundo alienum humorem suscepit, & congelatum quod impropriè siccum dicitur, quia durum existit.

Caput secundum de concretione & liquefactione.

ALtera contrarietatis species, quæ in corporibus mistis & terminatis apparet, ad concretionem & liquefactionem pertinet. De quibus operæpretium etiam est, ut doctrinam aliquam instituamus. Nam corpus omne quod terminatum est & consistens, aut durum aut molle, cum non sine concretione tale sit, de concretione ipsa dicere oportet, nec non de liquefactione quę illi aduersatur. Quarum sanè affectionum effectrices causæ & si calor & frigus esse dicantur, propterea quòd uideantur corpora omnia aut caloris præsentia absentia verò frigoris, aut præsentia frigoris, caloris autem absentia cogi nec non & ab eis solui, inter patibilium tamen species connumerantur: quoniam nullum corpus illas sustinet, quod aqueum non sit, aut aqueum & terreum: in aqueis enim humidum præualet, in terreis uerò ipsum siccum, quæ nisi inuicem optimè commiscerentur auxilio

concre-

concretionis, miſtum ipſum nec conſiſten tiam nec terminum admitteret. Humidum enim quod Metallorum proprium eſt, ſiccounitur concretione, quam frigiditas efficit: vbi enim concretio facta eſt, terminum & conſiſtentiam metalla ſuſcipiunt, quæ poſtea a ſicco calore diſſoluitur, qui liquefactionis eorum cauſa dicitur. Quæ vero ſunt terrea & aquea, quædam frigore, quædam calore coguntur: Nam quæ calore concreſcunt, frigore liquefiunt, Quæ frigore coguntur, calore ſoluuntur. Itaque cum nullum corpus cogi ſoluiq; poſsit, niſi humore & ſicco abundet, concretio & liquatio humidi, & ſicci paſsiones erunt. Quod illud præterea quodammodo indicat, cum non ſine humectatione & exſicca tione illas fieri uideamus, ita ut coagulatio exſiccatio quædam, liquefactio humectatio quędam fore dicatur. Quare ſi de humectatione ipſaq. exſiccatione prius dixerimus, concretionis & liquefactionis conſiderationem faciliorem reddemus. Exſiccatio enim cum illorum ſit corporum, quæ aut aquea ſunt, aut aquę ſpecies, ſiue natiuam ſiue ſuperinductam aquam habeant, veluti lana, & veſtes cum madefiunt, quæ humore aqueo prędita ſunt corpora, om-

nia aut calorem aut frigus exſiccare cernimus, calor enim exſiccat, quoniam humidum omne in vaporem mutat & diſſoluit, frigus uerò quoniam miſtorum calorem corrumpit, atque humorem exprimit, in quo calor reſidebat, ex quo fit ut modico humore in miſto derelicto, exſiccatio corporis contingat. Ab interno autem atque externo tum calore tum frigore exſiccatio producitur. Nam in iuuenibus calor inſitus partes duriores exſiccatione efficit, in ſenibus verò frigiditas, quæ ea ętate dominatur, aeris ambientis etiam frigus exſiccare experimento eſt comprobatum, quare tum internus tum externus calor & frigus exſiccationis ſunt cauſæ, quæ ſi humori fuerint coniuncta, potius humectationem quàm exſiccationē præſtabunt: quod Auſter & Boreas indicant, nam Auſter qui calidus, & humidus eſt, non exſiccat ſed potius humectat & humores ſoluit: Borreas uerò qui frigidus & ſiccus eſt, ſiccat atq; humores comprimit: Humectationem deinde frigus & calor efficiunt, quoniam frigus vapores à calore eleuatos ab aqueis corporibus, in aquam conuertit, quod in pluiæ generatione cernimus, pluuia enim nihil aliud eſt quàm vapor con-

cretus

cretus à frigore medię regionis, calor autẽ liquefaciendo ea quæ frigore congelata fuerunt, humectationis causa dicitur, atq; humorem euocando ad partes exteriores, frigus enim per se humectationis causa esse videtur quemadmodum calor, exsiccationis autem minime, quoniam ab eo per accidens fieri uideatur, nã frigiditas exsiccat, quoniam calorem expellit, qui secum humorem trahit, videtur igitur concretio quodammodo exsiccatio esse, quoniam in exsiccatione cum multum humoris deperdatur, duriora euadunt quæ exsiccantur, quæ uerò concrescunt, non tantum dura sed etiam mollia fieri possunt ueluti caseus recens, carnes animalium, ossa uerò dura concretione proueniunt. omnis autem eorum similitudo est in materia & efficientibus causis: in forma autem ualde differunt, cum alius sit finis, & terminus concretionis, alius autem ipsius exsiccationis, quare quodammodo eadem dicuntur. Igitur si quæ exsiccantur & humectantur corpora, non absq. humore fuisse oportuit, quæ coagulantur & liquefiunt absq; humore non constabunt. Coagulatione enim humor sicco permistus, ille est qui cogitur, liquefactione autem humor a sicco separatur, ita

ut fluat nec ab eo amplius terminetur, qđ in corporibus quæ à aquea prædominio sunt fieri probamus: Nam fosſilium & Metallorum quæ huius generis dicuntur, duæ cum ſint cauſę calor & frigus, tamquam materia ſuccus quidam humectus ſubijcitur & viſcoſus, terræ pingui ac tenui admiſtus, qui a calore primum decoquitur & craſſeſcit à frigore uerò condenſatus & concretus, in auri argenti & aliorum metallorum formam tranſit. ita enim fit, ut metalla humoris quaſi congelati plus habeant, quàm terræ, quorum uarietas pro uarietate partis humectæ et frigoris condenſantis oritur, non ex argenti uiui & ſulphuris diuerſa cõcretione, veluti chymiſtę perperam profitentur. Metallorum autem quę minus terrenæ portionis obtinuerunt, ea puriora ſunt, veluti aurum & argentum ſi cæteris conferantur, Aes enim & ferrum cum terrena portione magis abundent, rubigine facillime corripiuntur, quæ nihil aliud eſt quàm terræ admiſtio exſiccata. Metalla itaq; omnia cum frigore cogantur, calore ſicco liquefiunt & ſoluuntur. facilius verò ea quę multum humoris aquei habent, difficilius autem ea, quæ plus terrenæ portionis retinuerunt, ueluti ferrum, quod ex

humore non adeò decocto constat, plurimumq. recrementi relinquit, si ab igne sol uatur. Namque humore optimè decocto constant, ea parum aut nihil recrementi in fusione relinquunt, quemadmodum aurũ & argentum, quæ in locis temperatis callidis atq; humidis generantur, ab loci calore temperato humorem, qui est materia omnium metallorum, melius decoqui contingit, a frigore siue diminuto calore non ita perficitur. Nam cũ illorum humor non sit absque sicco, decoctione puritatẽ quandam suscipit, quare pro caloris defectu diuersa metalla producuntur. In Africa enim & calidissimis regionibus non generantur, propter humoris defectum, quem calor vehemens absumit. In locis autem temperatis & quæ caliditatem aliquam habent, metalla generantur: in quibus verò ob regionis frigiditatem calore humor non valde decoquitur, æs, ferrum nascitur, veluti in Montibus lapidosis, in quibus humor qui in illis reperitur, sicco plurimum commiscetur. stannum autem in frigidis & humidis ut in Anglia, plumbum cum ex humore crasso sed impuro maleque decocto constare videatur, etiam in locis frigidis & humidis generatur. Aes verò & orichalcum

in illis regionibus ortum habent, quæ mediam naturam obtinuerunt, inter eas quæ ferrum plumbum, & ſtannum ferunt. Argentum viuum cum ex aqueo & aereo humore conſtet, à calore quidem craſsitiem quandam ſuſcipit, dum coquitur, non tamen à frigore cogitur, quemadmodum cetera metalla, propter lentorem qui humori ineſt. Chalybs verò ſi etiã Natura fiat, in loco calidiori quam ferrũ exoritur. Vnde in Tauride ex multa ferri decoctione Chalybem parant, ex quo ſcuta, & galeas optimas fabricant. Cætera foſsilia ueluti lapides, eandem ferè habent generationis cauſam & formam, niſi quòd ob materiæ temperationem diuerſarum formarũ fiunt, Materia quidem eorum eſt ſuccus humectus & craſſus, efficientes vero cauſę calor & frigus, a calore enim ſuccus craſſus coquitur, & incraſſatur: à frigore autem coaleſcit: plurimum enim terrenę portionis & ſiccitatis cum habeant, nullo modo liquantur. Foſsilium autem alia quędam ſuccedunt, quæ quidem ſolui poſſunt, ueluti vitrum, nitrum, alumen, bitumen, ſulphur, nec non & quædam, quæ lapidibus molliora ſunt, liquari tamen & ipſa nequeunt, veluti Sal, minium, Saudaraca, gipſum, marmor,

mor, chalcitis: de quibus fusius Plinius, & Agricola scripserunt. Sal enim non tantum arte paratur sed etiam ex montibus foditur, in Indis enim mons Oromenus maximam copiam salis præbet, in quo lapidicinarum modo ceditur nascens, maiusq. ex eo Regũ vectigal est, quàm ex auro & margaritis. Effoditur etiam è terra, ut palam est humo re densato in Capadocia ibi quidem cæditur specularium lapidum modo, Nam Carrhis Arabię oppido, muros domosq. maßis salis faciunt, aqua ferruminantes, quemadmodum Plin. scribit lib. 31. cap. vij. Corpora quæ terrena portione magis abundãt, à calore coguntur, ueluti lac cum in caseũ coctione mutatur, & panis à calore ignis in clibano.

Duorum ergo generum cum sint corpora, quæ humorem habent, aut aquea aut terrea & aquea, aquea solo frigore coguntur, cum a calore soluantur, terrea & aquea tum frigore tum calore cõcrescere possunt, frigore si aqua abũdent, calore autem si terra. lac & aqua maris quæ terrea magis sunt, nec non animalium caro, calore concrescunt, Metalla frigore, quæ aqueo humore magis prædita sunt. A calore autem & a frigore quædam cogi videntur, veluti lu-

tum. Aquea omnia quæ præter viſcoſitatē ſiue lentorem, nullum ſedimētum habent, aut exiguum, veluti vrina, lixiuium, vinū, ſolo frigore concretionem admittunt; ſedimentum enim cum nihil aliud ſit, quàm portio terreſtris humori aqueo commiſta, quæ hypoſtaſim nullam faciunt, aut modicam, aquea dicuntur. Quare nullum vini genus eſt, quod aqueum non ſit, etſi portione quadam terreſtri alia alijs magis abundare videamus, quemadmodum vina, quæ dulcedinem multam habent. Nam aquea quæ tantum ſunt, concretione non craſſeſcunt, ueluti quæ ſimul terrea exiſtunt, perlucida enim manent, ut criſtallus, gemmę, magnarum enim cum nō ſint partium, a frigore non craſſeſcunt, terrenas enim partes denſari & coagmentari opus eſt, partibus humidis euaneſcētibus, ſi craſſities fieri debeat. Concretio itaq; erit rei liquidæ aut mollis induratio quædam, quę aut calore recedente, aut humore à re concretili ſeparato efficitur. Nam ſi frigus illam faciat, calor recedet, ſi uero calor humor abibit. Quare illud tantum concreſcere poteſt, quod aqueum eſt, aut aqueum & terreum, in quo tamen alterum præualeat. in Elementis enim terra & aqua ſola

dureſcere

durescere possunt, aer autem & ignis nequaquam. Nihil vero quod aerium sit, concrescit, ueluti oleum quod aqueum & aereum est, nam cum aer in oleo dominium teneat, calidum est, quare ab illius calore concretio humidi aquei impeditur, quam frigus induceret: à calore uerò non concrescit, quoniam vaporem non mittit, propter humorem lentum & uiscosum, quem obtinuit, potest tamen tum calore tum frigore crassescere, à frigore quoniam aer in oleo existens in aquam mutari potest. vi frigoris, nam si aqua oleo misceatur ipsum crassescet: à calore autem potest crassescere, quoniam partes humidæ olei calore dissoluuntur, quæ nigredinis causa erant, quare album redditur, quod aquæ etiam contingit, quæ cum nigra sit, motu tamen qui calorem producit, aliquę eius particulæ in aerem & spiritum uertuntur, quę albedinē inducunt, quod in spuma est conspicuum, quemadmodum in semine, quod cum calidum adhuc est, albedinem seruat, frigidū autem factum, cum spiritus illius dissoluantur, albedinem suam amittit. Exsiccari prę terea cum nullo modo ualeat oleum quoniam humore uiscoso tenaci & aereo abundat, mirum non est, si nec a calore nec a

frigore

frigore concrescat. Mel etiam cum sit terreum & aereum, a calore & frigore crassescit, a calore vaporem eliciente, à frigore aerem in aquam mutante.

Dubitationē autem non contemnendam semen siue genitura efficit, de qua Arist. in 2. de generatione animalium cap. 2. dubitat, cuius nam sit naturæ: Nam cum à frigore non cogatur, aqueam illam nequaquam esse patet, terream autem, propterea quòd quæ à calore coguntur, à frigore indurantur, semen autem in aquam positum, non solidescit, sed potius fluidum siue liquidū redditur. Quam quidem dubitationem diluens, inquit Arist. corporum tria genera reperiri, quorum alia sunt aquea, alia terrea & aquea, alia quæ preter terram aut aquam, etiam aeream naturam habent, quemadmodum semen, oleum & mel: semen enim aqueum & spirituosum existit, cum nihil aliud sit, quàm vapor communis spiritus & aquæ, spiritus autem aer calidus est, quáobrem natura humidum est semen, quoniá aqua constat. Quare mirum non est, si ab animali exit spissum & album, calore interiore multum spiritus calidi continens, egressum vero vbi calidum euanuit, & aer refrigeratur, humidum nigrumq; euadit

rema

remanet enim aqua. albedo enim multum ſpiritus ſiue vaporis aerei eſſe in ſemine, indicat, quoniam a calore partes ſpirituoſæ aqueis commiſte ſpumam faciunt. A calore igitur craſſeſcit quoniam ab eo in uaſis ſeminarijs uel in teſtibus quemadmodũ medici autumant, decoquitur & elaboratur, frigore uero minime craſſeſcit, quoniam multum ſpritus calidi obtinuit in eius generatione, ex quo etiam fit, ut minime congeletur etiam aquæ frigidiſsimæ immerſus. oleum uero tum calore tum frigore craſſeſcit, calore quoniam pars illius aquea in aerem mutatur, qui commiſtus humido tenaci ipſius olei craſsitiem inducit, à frigore etiam craſſeſcit, quoniam aer in vaporẽ & nubem conuertitur, ab eo tamen non congelatur quoniam calidum aereum olei congelationem impedit. Mel concreſcit quidem vi frigoris in aqua elixum. Nam quæ concreſcunt, frigore aut interno aut externo concreſcunt, interno ut metalla, externo ueluti mel & aqua, quę calefacta refrigeratur quidem a frigiditate illius propria, non tamen concreſcit niſi frigoris externi magna vis adſit. Terrea & aquea communiter non ſolum calore aut frigore concreſcunt, uerum etiam ab utroque craſſeſcunt

ſcunt partim eodem modo, partim uero alio, eodem modo, quoniam humore in vaporem abeunte partibuſq. ſiccis conſti-patis & coeuntibus tam calore quam frigo re craſſeſcant, diuerſo autem modo ab vtro que craſſeſcunt, quoniam à calore craſsities inducitur, omni ferè humore euocato, à frigore autem, quoniam frigus partes cali-das exprimit, cum quibus humor una eli-citur. Hæc etiam corpora quæ communi-ter ex terra & aqua conſtant, ſi frigore con-creſcunt, calore craſſeſcunt, ſi autem calore concreſcunt, frigore craſſeſcunt, veluti fi-ctile frigore craſſeſcit, calore cogitur. Mel autem cum elixatur, calore craſſeſcit, fri-gore aquæ concreſcit. Nonnulla tamen huius generis corporum reperiuntur, quæ calore ſolum concreſcunt, ut Maris aqua, quę frigore humido ſoluitur, cum calore ſicco cogatur, lapides calore qui decoquit, craſſeſcunt frigore vero coguntur. Quod præterea in terreis corporibus quæ calore craſſantur dubitationem relinquit, eſt oui luteum, quod terrenam naturam habere, determinat Ariſt. in 3. de gen. animalium cap. 2. quod à calore potius humeſcit, niſi magna ſit uis caloris. Nam cum ex albu-mine ainmal generetur, ex luteo nutriatur,

ſi

ſi craſſeſceret, non poſſet trahi per poros
uenales ab animalibus naſcentibus. Quod
etiam de cera afferri poteſt, quę cum terrea
ſit, calore non craſſeſcit. Quam profectò
ita diluit Ariſt. Idem luteo euenire quod
ceræ, plurimum enim partes terrenæ in ce-
ra & luteo cum admixtum habeant humo-
rem, non facile a calore leuigatur, quemad
modum pars terrena in tegula. Candidum
vero oui cum calidæ & humidæ ſit naturæ,
igne induratur, niſi enim concreſceret, ex
eo membra animalium non fierent. Quod
autem Medici in contrarium ſcribunt, lu-
teum albumine in ouo calidius eſſe, ſimpli
citer uerum non eſt, ſed tantum compara-
tione facta ad humana corpora, quæ illo
aluntur. corpora omnia ſiue fuerint aquæ,
ſiue terrę & aquę, quæ concreſcunt, etiam
liquefieri aut calore, aut frigore oportet,
prętet quædam, quæ cum aquea, & terrea
ſint, refrigeratione coacta fuerunt caloris
vniuerſi expiratione, quemadmodum cor-
nu & ferrum, quæ à calore ſicco mollia red
duntur, non autem ſoluuntur, niſi magna
vis caloris agat. Hæc enim primum dum
formantur, calore craſſeſcunt, frigore po-
ſtea coguntur à quibus calor omnis cũ ex-

piret

Digitized by Google

piret, adeo illorum humidum frigore comprimitur, ut non nisi ab igne uehementissimo soluantur & liquefiant. Quę enim aquea sunt, omnia propemodum calore liquantur, quoniam vi frigoris aut interni aut externi cõcreta siue coagulata fuerunt. Nam aquea omnia cum cogantur tantum a frigore, quoniam calorem expellũt humore eorum remanente, mirum non est si calore adueniente liquefiant, ut aqua in glaciem conuersa, vinum, lotium, & serum: tãtus enim in ijs est humor, caloris autem modicum, ut caloris recessum humoris totius euocatio minime sequatur, quare a calore soluũtur adueniente. Terrea vero quę calore solo coguntur, a quo humor illorũ euocatur, hęc frigore humido liquantur, veluti sal & nitrum. Quæ in terreis caloris tantũ expresione coguntur, calore iterũ superueniente soluuntur, ueluti lutum, quę uero humore omni dissoluto, calore coguntur, hæc calore non soluuntur, ut ficti le, quemadmodum etiam illis contingit, quæ in terreis & aqueis parum aut nihil humoris in eorum concretione retinuerunt. Nam quæ a frigore coacta sunt, aliquid aut multum humoris retinentia, illa calore soluuntur, ueluti stannum, plumbum, aurum

&

& argentum. ferrum autem & cornu minime, quæ magis sunt terrea, quàm aquea, à quibus cum caloris expreſsione humidi quod remansit maxima compreſsio sequuta fuit: lapis pyrimachus etiam calore liquatur, et mile siue marchisites lapis, quæ frigore concreta fuerunt, calore eorum recedente humore tamẽ derelicto. Pyrimachus enim lapis in fornace in cinerem non reducitur, sed fluit & liquatur, constat enim ex lapide & natura metallica, quare iterum frigori expositus cogitur mile etiã liquantur & quod ab illis fluit, si concreuerit calcem efficit nigram vitrum etiam in ijs commuineratur, quod primũ molescit, deinde uero ab ipso calore liquescit. corpora enim hæc quæ retulimus, quoniã humore abundant, concretionem admittunt, preter illa quæ humore aereo prædita sunt, aut humorem aqueum lentum & viscidum obtinuerunt: veluti oleum, argentum viuum, pix, viscum. Quæ etiam valde terrea sunt, non concrescunt, veluti mel & mustum, similiter quæ feruorem habent, quoniam ab eo partes eorum continuo eleuantur. Mel tamen elixum coagulari videtur, quoniam calore rariores & laxiores partes redduntur; quæ vi frigoris postea condensantur, Argentum

gentum autem uiuum, ab Alchymicis mistione sulphuris, quod omni ex parte illũ non urat, induratur, nam alteri rei commistum, quæ coagulandi facultatem habeat, concrescit, per se autem nequaquam, inconcretile secundum se videtur, quoniam non exsiccatur, cum humorem bene commistum habeat partibus terrenis à quibus grauitatem habet, ueluti cetera metalla. Liquefactibilia corpora ea præterea erunt, quę humore aqueo prędita sunt, siue aquea tantũ fuerint, aut aquea & terrea, quæ quidem tum calore tum frigore solui possunt, quoniam quæ calore coguntur, frigore soluantur, quæ frigore coguntur ab ipso calore dissoluantur. Nam quemadmodum concretione corpora omnia secundum omnes partes terminantur, propter perfectam humidi cum sicco mistionem, quam calor aut frigus efficit, liquefactione, quæ illi aduersatur, proprio termino priuantur, proptęrea quod non seruetur integra vnio omniũ partium misti, & commistio humidi cum sicco, quare liquefactione compacta corpora fluida redduntur: ita ut liquefactio nihil aliud esse videatur, quàm separatio quædã humoris & siccitatis mistorum a calore vel frigore facta, ita ut proprio termino secundum

dum omnes partes unumquodque corpus, quod illam admittit spolietur. At cum calore, & frigore liquefactio quemadmodũ cõcretio contingat, & si a quocumq; calore fieri videatur, non tamen ab omni frigore ortum habet, quoniam eorum, quæ calore coguntur, cum alia sint solubilia, alia vero insolubilia, solubilia frigore humido soluuntur, veluti sal, nitrum & zaccarum, in quibus humidum aqueum quod frigidum existit, ingressum habet: fictile autem insolubile ideo est, quoniam illud tantum in ipsa coctione humoris retinuit, quod continuatio corporis postulabat, atq; a vehementi calore eam meatuum constipationem obtinuit, quæ humidum extrinsecus aduenięns admittere non potest. Quæ item uehementissimo frigore coguntur, caloris expiratione ipsiusq; humoris compressione, insolubilia sunt, ueluti lapilli pretiosi, & lapides quorum humor ualde viscidus, & terrenus ab ipso frigore fuit concretus. In gemmis autem Plin. margaritas liquari posse & in tabem cõuerti, recenset ui acerrimi aceti, & si frigore concreuerint: Nam Cleopatra cum Marcum Antonium eo quod quottidie exquisitis epulis saginaretur, obtrectare vellet, se illũ in cœna superaturũ spopon

dit, atq; in secunda mensa vnionem, quæ centum sestertia ęquabat, acerrimo aceto immersit, quam dissolutam, & liquefactam cum uidisset, absorpsit. Solubilia itaq. ea sunt, quæ nimio frigore coacta nequaquam fuerunt, quorum alia facilius alia vero difficilius soluuntur, quemadmodum metalla, ferrum enim cum vehementissimo tantum igni solui uideatur, inter difficile solubilia, ueluti cornu etiam connumeratur: Adamas omnino est insolubilis, qui sangui ne tantum hircino frangitur. Hæc enim quæ aquea sed terrea magis sunt, calore tan tum sicco soluuntur, cum frigore concreuerint. Quæ uero aquea tantũ sunt, cum fri gore etiam concreuerint, tum calore sicco tum humido solui possunt, quemadmodũ nix, glacies, pruina. Insolubilia omnino videntur, quæ tum calore tum frigore concreta fuerunt. Nam humor. eorum adeò ui frigoris compressus fuit, atque ui caloris parti terrenę ita commistus, ut dissolui & facile separari nequeat quemadmodum fos sillia quędam & lapidum quorundam genera, similiter quę exsicatione totius humoris coguntur sunt insolubilia, veluti Tophi in Antris reperti atq. lapides quidã durissimi, qui glabris in montibus abundant,

dant, Succinum pręterea & lachrimę quæ frigore coguntur, non soluuntur & ossa animalium, similiter lateres cocti in fornace, qui totius humoris exsiccatione calore concreuerunt, ueluti quæ antea retulimus frigore. Humoris enim exsiccatio tũ calore tum frigore quemadmodum diximus, fieri solet, Mirrha enim, thus, & gummi insolubilia dicuntur, quoniam concreta sũt frigore, exsiccatione totius humoris. In quibus verò non totus fuit exsiccatus frigore, solui possunt & emolliri, ueluti ferrum & cornu. Quare arte videmus quędam insolubilia reddi, omni eorum humore ui ignis dissoluto, veluti ferrum, si ex eo chalybs fiat, quod etiam durissimũ redditur. Ebur etiam fossile reperitur; quod cum calore & frigore concreuerit, insolubile existit. Alabastrites uero funditur, & liquatur igni, ad vsum vitri etiam vritur. Duorum enim cum sit generum candidum quod circa Thebas Aegyptias & Damascũ nascitur, cæteris est candidior, probatissimus vero in Carmania, mox in India, iam quidem & in Syria Asiaque, vilissimus autem & sine ullo nitore in Capadocia, niger vero in terra Albandica reperitur, etiã Mileti nascens, ad purpuram tamen magis

aſpectu declinans, qui quidem igne liquatur. Communia terræ, & aquæ ſolui poſſunt, & emolliri a calore, & ſi frigore fuerint concreta, veluti cæra, terrea & aerea nõ liquantur ueluti ligna, ſed potius comburuntur. Quod autem dubitationem facere videtur, eſt butyrũ, quod calore cogi & frigore uidetur, ſoluitur tamen ab ipſo calore. Nam ſecundum Medicorũ placita cum lac tribus ſubſtãtijs ſit præditum, ex aquea ſerum fit, ex terrena caſeus, ex pingui & aerea butyrum, calore enim non cogitur butyrum, ſed motu, qui caloris cauſa eſt, fit ſegregatio pinguioris partis in lacte ab alijs, quæ poſtea frigore cogitur, ueluti pinguedo in animalibus, quę eſt pars pinguior ſanguinis, qui etiam veluti lac, parte aquea & ſeroſa conſtat, nec nõ & terrena, cum fibras habeat, præterquam in quibuſdam animalibus, quæ ſanguinem aqueum & ſeroſum ſiue ſanioſum obtinuerũt, quod morboſum eſt. Sanguinis enim concretio etſi terrenus magis ſit, frigore tamen fit, quoniam illum exſiccari contingit, quemadmodum Ariſt. ſcribit in.3.de hiſt. animal. cap. 6. Nam in ſanguine cum ſint fibræ, quæ terrenæ ſunt medięque naturę inter neruum & uenam, exſiccari poteſt. Extra animal cũ calore pri

uetur,

uetur, humido spoliatur, quare frigore partes terrenę sanguinis condensantur & cogi uidentur, ita vt refrigeratione potius quàm frigore sanguis gelari dicatur, quoniam aquea frigore potius gelari dicantur: sanguis enim plures differentias suscipit, ueluti Aristo. in. 2. de partibus ca. 2. scribit, quoniam sanguis in uno & eodem animali ueluti in diuersis, alius tenuior, alius crassior, alius sincerior, alius turbulentior, item alius frigidior, alius calidior reperitur. roboris autem efficacior est sanguis, qui crassior & calidior, vim autem sentiendi intelligendiq; obtinet pleniorem, qui tenuior atq; frigidior est: sanguis igitur si ab eo fibrę non eximantur, ueluti Arist. scribit libro eodem cap. 4. cogitur veluti terra humida frigore: in corpore autem non concrescit, propter calorem animalibus inditum, a quo non exsiccatur, sed potius humidus seruatur: sanguis autem qui fibrosus non est, minime concrescit, qualis in ceruis damis & bubalorum genere conspicitur, & sanguis morbosus, qui sanies dicitur, seuum etiam modo fibrosi sanguinis cogitur, qui in animalibus cornigeris & non utrinque dentatis reperitur: terrea enim hęc sunt, quod cornua habeant talosq; obtineant, quæ quidem

dem natura arida sunt & terrena, Adeps uerò non cogitur nec siccitate aliqua frangitur, quoniam eius natura minus terrena est qui in illis animalibus reperitur, quę cornibus carent, vtrinque vero sunt detentata. Adeps autem & Seuum nihil aliud sunt, quã excrementum concoctum alimenti sanguinei, ueluti Medulla, quę in ossa & spinam distribuitur in animalibus sanguineis: Quare in seuosis seuosa est, in adiposis adiposa. Nam cum ossa proprio alimento nutriri opus sit, tepor quem ossium complexio facit, sanguinem concoquit; sanguinis enim concoctio per se est seuum, adeps & medulla, quę modica aut nulla est in animalibus, quę ossa ualidiora habent, quemadmodum Leones, De medula uero etsi contrarium Galenus & Medici sentiant, quoniam illa ossa nutriri nequaquam uelint, ad præsentẽ tamen tractationem de hac re disputare locus hic minime requirit. Alias autem passiones quibus similaria corpora differre uidentur aliàs expendemus, quare hæc satis sunt, ut illis satisfacere uideamur quæ in principio operis policiti sumus.

FINIS.

1545

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

286

Digitized by Google

Digitized by Google